

ubi tamen istud n. 31. de facto limitandum censet in parochis, aliisque curatis inferioribus, quos post concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reform. arbitratur, posse indistincte citari per edictum, quamvis sciatur, ubi sint, juxta dicenda inferius § 3. n. 61.

23. *Alioquin in Ecclesia, ubi beneficium existit, debet publicari edictum trinae citationis; et quo modo? Nec sufficit unum peremptorium?* — Quod si vero ignoretur, ubinam sit clericus non residens, vel is tam longe, seu taliter absit, ut ad eum citatio personalis commode pervenire non valeat. Tunc in Ecclesia, ubi beneficium existit, debet publicari edictum trinae citationis; hoc est, per tria edicta in loco beneficii, seu Ecclesiae successive facta: adeo ut non sufficiat unica peremptoria, c. *Ex tuae*. 41. ubi Abbas n. 4. et seqq. et Barbosa, n. 3. h. t., Garcias part. III. cap. II. n. 155. et 156. et seqq., allegans multiplicem decisionem Rotae in terminis; Bellettus loc. cit. n. 15. subjungens, quod hujusmodi trinae citationes non debeant nimis festinanter fieri. Post ultimam vero citationem debet expectari per sex menses, antequam deveniatur ad privationem: si vero beneficiarius post lapsum sex mensium, ab ultima citatione edictali numerandorum, non redierit, neque residere curaverit; tunc juxta canonicas sanctiones merito debet beneficio privari, atque istud alteri conferri, cit. c. *Ex tuae*. h. t.; Abbas, Barbosa, Garcias, Bellettus, ubi supra, et alii.

24. *Sufficeret tamen unica citatio personalis: idque ampliatur.* — Caeterum loquendo de citatione personali, passim fatentur doctores, sufficere unicam, nec requiri, ut illa solemniter publicetur: neque ulterius requiri, ut post eam tempus sex mensium expectetur, sed sufficere arbitrium; adeo, ut clericus illico possit privari beneficio, si tempore juxta arbitrium episcopi per citationem personalem determinato non redierit, neque resederit. Barbosa, part. I. de Offic. parochi. cap. VIII, n. 75; Garcias d. n. 155. et seqq.; Bellettus cit. § 34. n. 16; Pirhing h. t. n. 51, et alii. Quinimo Jean. Andreas d. c. *Ex parte vestra*. 8. n. 4. h. t. istud ampliat ad eum casum, quod beneficiarius licentiam obtinuit abessendi ad certum tempus, simulque in datione licentiae monitus fuit sub poena privationis redire in termino: nam si ultra illud tempus abfuerit, privari potest, nisi justam causam alleget, arg. cap.

ult. h. t. Tunc enim dies interpellat pro homine, c. *Potuit; de Locato*.

25. *Beneficiarius propter longiorem absentiam privatus beneficio, si post reditum probaverit justam absentiae causam, est restituendus. Unde superior non debet statim procedere ad privationem beneficii.* — Quod si vero beneficiarius, propter longiorem absentiam privatus beneficio, postea redierit, justamque absentiae suae causam allegaverit, et probaverit; tunc is restituendus est, arg. can. *Præsentium*. 7. q. 1. et c. *Cum Bertholdus*. 18. de Sentent. et re judicat., Pirhing h. t. n. 51. Qui proinde n. 53. inter alia notandum ait, quod superior non debeat statim procedere ad privandum beneficio, ac deponendum eum, qui abest, seu non residet: sed prudenter faciat, si etiam, postquam absens monitus est, ut redeat, adhuc expectet aliquandiu, donec clare appareat, quod contumaciter, ac temerarie absit; vel quod beneficium pro derelicto habeat, eique tacite renuntiet, arg. c. *Qualiter*. 9. h. t. Id ipsum tradit Barbosa, c. *Clericos*. 17. seu cap. ult. h. t. asserens, ideo clericum non residentem ante omnia monendum esse personaliter ad residentiam, ut ita vere constet de delicto: et pateat, nullam ei competere excusationem.

26. *Pœna ordinaria clericorum non residentium, est privatio beneficii. Potest tamen superior alio modo contra eos procedere: videlicet per censuram suspensionis et excommunicationis.* — Resp. IV. Etsi pœna ordinaria clericorum non residentium sit privatio beneficii, uti patet ex cap. II. et seqq. h. t. junctis hactenus dictis: potest nihilominus superior alio modo procedere contra clericos non residentes; eosque compellere ad residendum, videlicet per censuras medicinales suspensionis, et excommunicationis, præmissa trina monitione infligendas. Ita textus in c. *Ex tuae devotionis*. 41. § *Contra eos*. h. t. ubi Abbas n. 6. hunc modum procedendi censet adhibendum contra eos clericos, qui sunt utiles suae Ecclesiae: quamvis Glossa ibid. §. *Ut ipsos*, censeat, capitulum illud loqui de praelatis tantum. Verum Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. n. 6. post Mantiam, decis. 67. n. 6. dispositionem illius decretalis generalius intelligens, inquit, in electione, sive arbitrio episcopi relictum esse, an prius per suspensionem, atque excommunicationem, procedendum sit contra clericum beneficium contumaciter absentem nec ne: adeo, ut si absque hisce præmissis censuris pro-

cedat episcopus ad privationem beneficii, illa rite facta censeatur.

27. *Non vero per poenam degradationis.* — Notandum tamen, quod pontifex in cit. c. *Ex tuae devotionis*. § *Contra eos*. h. t. subjungat, quod « si nec sic (id est, per suspensionis, et excommunicationis sententiam) eorum, beneficiariorum contumaciter absentium, malitia poterit emoliri, eos superior a spiritualium administratione removeat: et quibus præsumt ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri. Sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer (si expediat) facilius agi possit. » Hæc ibi. Unde consequens est, in beneficiarios debite non residentes posse quidem procedi tum ad privationem ipsorum beneficiorum: non vero ad poenam degradationis.

28. *Hactenus dicta potissimum procedunt spectato jure communi antiquo. Et quid post concilium Tridentinum. Remissive.* — Et hæc potissimum procedunt spectato jure communi antiquo: nam per sacrosanctam synodum Tridentinum quoad poenas episcoporum, et parochorum, nec non canonicorum debite non residentium, nonnulla specialia fuerunt constituta, et disposita: de quibus singillatim commodius agetur in tribus sequentibus paragraphis. Unde sit

§ II.

DE RESIDENTIA EPISCOPORUM.

29. *Residentia episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsius ecclesia cathedralis.* — Quæritur 1. Ubi, et qualiter episcopi residere teneantur? Resp. I. Residentia episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsorum ecclesia Cathedralis. Ita desumitur ex can. *Placuit, ut nemini*. 7. q. 1. et can. *Episcopus si de Consecrat.* dist. 3. juncta Glossa un. et can. *Episcopus vilem*. dist. 41. ac notat Barbosa, part. III. de Offic. et potestat. episc. allegat. 53. n. 3. post Marc. Antonium Genuensem in *Manual. pastor.* cap. xxxi. n. 6. et Fagnanus c. *Qualiter*. n. 27. et 34. h. t. et c. *Canonum statuta*. n. 101. de Constitut. asserens, quod sacra Congregatio concilii declaraverit, episcopos teneri apud suam cathedralem ecclesiam residere; nec satis esse, ut in diocesi resideant: haud obstante, quod concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. vers. « eosdem interim admonet. » de Reform. utatur verbo illo, *Admonet*: quia obligatio

residendi juxta cathedralem ecclesiam surgit ex dispositione antiquorum canonum, quos concilium non sustulit, sed solum moderabatur. Id ipsum probatur a simili: quia pariter Abbas in suo Monasterio, parochus in loco ecclesiae parochialis, aliique beneficiati in loco beneficii, ad obeunda rite munera sua residere tenentur. Accedit, quod episcopus sit sponsus ecclesiae suae, huicque vinculo spiritualis conjugii alligatus, c. *Quanto*. 3. et c. *Licet in tantum*. 4. de Translat. Episc. atqui sponsum se non ostenderet, quin potius ecclesiam viduatam relinqueret, nisi juxta eam resideret, cessantibus justis absentiae causis; ergo.

30. *Episcopi aliique beneficiarii, præcepto residentiae non satisfaciunt, nisi etiam munera sua peragant.* — Resp. II. Episcopi, aliique beneficiarii, præcepto residentiae non satisfaciunt ex eo, quod corporaliter praesentes sint in loco beneficii; nisi etiam munera ratione officii sibi incumbentia peragant. Ita certa, et communis; ac signanter tradit Barbosa, part. III. de Offic. et potestat. episc. allegat. 52. n. 20. et Garcias, part. III. de Beneficiis, cap. II, n. 53. citans Ugolinum de Offic. episc. cap. IV. § 13. n. 1. et cap. XV. § *Episcopum*. 7. q. 1. et can. *Quasi Episcopatum*. 8. q. 1. et can. *Si quis vult*. dist. 36. cum similibus, et quamvis de facto episcopi, sive ob multitudinem negotiorum, sive ob alia legitima impedimenta verbi divini prædicationem, sacramentorumque administrationem (excepto sacramento Confirmationis, et Ordinis) personaliter exercere rarius soleant, atque ad istud teste longæva consuetudine, quæ est optima legum interpret, regulariter non teneantur: nihilominus eisdem incumbit, personaliter esse sollicitos atque vigiles, ut per deputatos viros qualificatos, ac præsertim per parochos, id ipsum debite præstetur: ita tamen, ut ipsemet episcopi non intermittant personaliter pro ovibus suis sacrificium offerre, easque bono exemplo instruere, atque specialem pauperum, et miserabilium personarum curam habere, juxta præscriptum sacri concilii Tridentini loc. cit.

31. *Residentia episcoporum in quo consistere debeat?* — Per hoc tamen non negatur, quin episcopus possit constituere vicarium generalem. Nam propter multitudinem negotiorum episcopus, etsi diligentissimus sit, pleurumque non sufficit ad omnia negotia se solo expedienda; simulque decet, ut sua onera

partiatum cum aliis, arg. *Ut singulæ. de Offic. archipresbyt.* estque jam dictum supra lib. I. tit. XXVIII. *De Officio vicarii.* § 3. n. 64. 65. et seqq. Unde residentia episcoporum non solum in assidua corporis præsentia, sed potius in mentis sollicitudine, et charitatis studio consistere debet; sollicite nimirum attendendo, simul et procurando, ut debita munia pastoralia per universam diocæsin rite peragantur, subditi doceantur vitia fugere, sectarique virtutes, extirpentur hæreses, corrigantur rei criminum, foveantur atque defendantur justis, sacramentorum ministerium ovibus conceditis exhibeatur; atque in hunc finem, sive per se, sive per alios, diocæsis crebro visitetur, arg. c. *Si episcopus.* 6. et c. *Cum episcopus.* 7. *de Offic. ordinar.* in 6. Alioquin « non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit, » prout loquitur reg. 10. juris. atque can. *Sit rector.* dist. 43. et concilium Trident. sess. 6. cap. 1. *de Reform.*

32. *Quæ munera episcopis, aliisque curatis jure divino, ac vi debite residentie incumbant?* — Resp. III. Munera illa, quæ episcopis, aliisque curam animarum habentibus ex præcepto divino incumbunt, atque ab ipsis vi debite residentie præstari debent, potissimum sunt illa, quæ in concilio Tridentino, sess. 23. cap. 1. *de Reform.* enumerantur, sequentibus verbis: videlicet, « Oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac honorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, » etc. Concordat can. *Sicut vir.* velle (expectando nimirum majorem necessitatem) vel timidum (timendo videlicet, ne sibi deficiat) aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. » His accedunt dicta superius tit. 1. *de Vita, et honest. cleric.* § 2. n. 60. et. 61.

33. *Tenantur specialem pauperum et miserabilium personarum curam habere, juxta apertos, sacros canones.* — Et hoc ultimum præter concilium Tridentinum specialissime ab episcopo requirunt sacri canones antiqui. Sic quippe can. 1. dist. 82. habetur: « Episcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente, non possunt suis manibus laborare, victum, et vestitum (in quantum sibi possibile fuerit) largiatur. » Concordat can. 4. et 2. dist. 87. ubi istud refunditur in jus

divinum, juxta illud Isaiaë, LVIII, 7. *Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Idque præsertim episcopis, et clericis beneficiariis incumbere, vel ex eo patet: quia ipsi vivunt de bonis Ecclesiæ: atque « res ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum, » textus in can. *Quia juxta.* 16. q. 1. cum similibus. Pulchre ad propositum sanctus Hieronymus, relatus can. *Gloria Episcopi.* 12. q. 2. sic loquitur: « Gloria episcopi est, pauperum inopiæ providere; ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis. » Et infra: Amico quidpiam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis; vel cautum esse § 3. n. 2. et 3. et alios. Ratio est clara, quia verbum *Residere* significat Ecclesiæ deservire: debet enim accipi cum effectu. c. *Relatum.* 4. h. t. Alioquin parum esset residere, nisi cura haberetur de beneficio, præstando personaliter munia sibi incumbentia.

34. *Episcopi possunt per singulos annos duobus, aut tribus mensibus abesse: et quomodo?* — Quæritur II. Utrum aliquando, et quando tempore, liceat episcopis abesse a sua Ecclesia? Resp. I. Etsi jure divino, et sub peccato mortali, aliisque pœnis in progressu enumerandis teneantur episcopi residere: possunt nihilominus iidem per singulos annos duobus, aut ad summum tribus mensibus, conjunctim, vel interpolatim, a suis Ecclesiis, abesse: dummodo id fiat absque ullo gregis detrimento, simulque ipsi non absint tempore Adventus, Quadragesimæ, aut in festis solemnioribus, nisi episcopalia munia in sua diocæsi eos alio trahant. Ita communis; habeturque expresse decisum in concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. *de Reform.* ubi post declaratum omnium patriarcharum, primatum, metropolitanorum, atque episcoporum obligationem residendi personaliter in suis Ecclesiis, subjungitur in hæc verba: « Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta synodus vult, illud absentie spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; et haberi rationem, uti id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit,

abscedentium conscientie relinquit, quam sperat religiosam, et timoratam fore; cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur. Eisdem interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diocæsi eos alio vocent. » Hactenus concilium.

35. *Possuntque tunc abesse sine alia superioris approbatione.* — Ex quibus verbis colligitur, posse episcopum spatio duorum, vel trium mensium, abesse a sua Ecclesia sine alia superioris approbatione: quia jus ipsum hoc permittit, et approbat. Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. xxxiv. dubit. 29. n. 155; Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. 1. sess. 23. n. 15; Santarellus *Var. resolut.* lib. I. quæst. 4. n. 5; Fagnanus c. *Qualiter.* n. 38. et 39. h. t. istud intelligens etiam de absentia episcopi extra diocæsin, eo quod concilium Tridentinum, cit. sess. 23. cap. 1. vers. *Ne vero ea,* sub disjunctione loquatur, dicendo, episcopos « obligari ad personalem in sua ecclesia, vel diocæsi residentiam, nisi ex causis, et modis infra scriptis. » Nam inter hæc causas reperitur ibi etiam memorata brevis temporis absentie duorum, vel trium mensium.

36. *Etiam causa relaxandi animum.* — Colligitur ulterius, quod istud absentie tempus possit ab episcopis adhiberi causa relaxandi animum: nam etiam hæc censetur æqua ad modicum tempus abessendi, ne episcopus continuis laboribus, curis et sollicitudinibus pastoralibus exhaustus, citius succumbat, sicque gregi sibi commisso uberius prodesse nequeat. Azorius part. III. lib. VII. cap. iv. quæst. 9; Santarellus cit. n. 5; Barbosa, ubi supra, n. 16, dummodo istud fiat absque ullo commisso sibi gregis dominici detrimento: quod an ita fiat, concilium allegatum relinquit conscientie episcopi discessuri.

37. *Non tamen trimestre unius anni, coniungendo cum trimestri sequentis anni: et cur?* — Est tamen hic notandum conformiter declarationi sacre congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, quam refert Fagnanus c. *Qualiter.* n. 40. et seqq. h. t. Quod non possit episcopus absentiam

trimestrem unius anni, conjungere cum trimestri absentia sequentis anni, puta quod pro hoc anno absit a sua Ecclesia mensibus octobris, novembris et decembris, ac pro sequenti anno absit mensibus januarii, februarii, et martii. Nam imprimis hujusmodi semestris absentia includeret tempus Adventus, ac Nativitatis Domini, una cum Quadragesima, quo non licet episcopis abesse a sua cathedrali (nisi ob munia episcopalia alibi peragenda) multo minus a diocæsi; per textum concilii Tridentini n. 34. relatum. Deinde in eo, qui abest continuo sex mensibus, non verificatur illa dictio. *Aliquantisper,* quo utitur idem textus sacri concilii: imo talis absentia reputatur longa, et pœnis ecclesiasticis punienda, juxta hoc ipsum concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 1. *de Reform.* Accedit, quod ex hujusmodi longa absentia episcoporum magis relaxari possit nervus ecclesiasticæ disciplinæ; majusque damnum in spiritualibus et temporalibus, inferri Ecclesiæ, non facile reparandum, ac alias fieri posset.

38. *Ultra tres menses non possunt episcopi abesse, nisi ex legitimis causis.* — Resp. II. Præter memoratum tempus duorum, vel trium mensium, non possunt episcopi a sua Ecclesia, vel diocæsi abesse, nisi ex legitimis causis, quæst. seqq. enumerandis: ita tamen, ut antea has ipsas absentie causas, « a Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debet, in scriptis esse approbandas, » his verbis decreverit concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. 1. *de Reform.* Ea tamen addita limitatione: « nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicæ officium, episcopatus adjunctum: cujus quoniam causæ sunt notoriæ: et interdum repentine, nec eas quidem significari metropolitano necesse erit. » Ita concilium Tridentinum ibid.

39. *Et ascendente approbatione Papæ vel metropolitani.* — Et quidem prior pars, requirens approbationem Papæ, vel metropolitani, merito decreta fuit propter quorundam episcoporum temeritatem, qui olim (ut idem concilium Tridentinum sess. 6. cap. 1. *de Reform.* deploravit) « propriæ salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagabantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sua-

rum cura neglecta, se detinuerunt occupatos. » Unde, ne idem in posterum prætextu alicujus legitimæ causæ passim contingeret, merito legitimæ allegatæ causæ antea per Papam, vel metropolitanum, in scriptis approbanda censebatur.

40. *Quinimo de facto non amplius sufficit approbatio metropolitana.* — Quinimo de facto, et spectata constitutione 139. Urbani VIII. quæ incipit, *Sancta synodus* (habeturque tom. IV. *Bullar. Romani*) non amplius videtur sufficere approbatio legitimæ causæ absentiae episcopi facta per metropolitanum: nam Pontifex ibid. § 8. 9. et 10. prohibet omnibus episcopis, sub pœnis, et censuræ eo ipso incurrendis, ne a suis Ecclesiis discedant « nisi obtenta prius a Nobis et Romano Pontifice licentia; idque (ait Fagnanus c. *Qualiter*. n. 12. 13. et seqq. h. t.) optimo consilio statutum fuit: quia episcopis prætextu causarum, in concilio enumeratarum, et proxime allegandarum, difficile non fuisset, a metropolitano licentiam abscedendi extorquere; sicque lex illa de residentia episcoporum, foret ludibrio exposita.

41. *Propter munus tamen, vel officium reipublicæ episcopatibus annexum, possunt iidem abesse sine alia approbatione Papæ.* — Altera vero pars, hinc excipiens absentiam episcopi propter aliquod munus, vel officium reipublicæ episcopatibus annexum, inde merito statuta fuit: quia notorium est, ad talia episcopum teneri vi sui officii; unde superfluum foret, aliam desuper licentiam, atque approbationem Papæ, vel metropolitana, in scriptis dandam exigere. Exemplum hujus refert Lessius lib. II. *de Justit. et jur.* cap. xxxiv. n. 156, de episcopis illis, qui ex vi officii sui in Belgio, et in Germania debent interesse comitiis ordinum, in quibus ipsi primum locum tenent. Huc accedunt consecrationes ecclesiarum, visitationes clericorum, et alia hujusmodi munia episcopalia, quibus ex officio tenetur episcopus satisfacere, ipsumque sæpius repente vocant ad alia loca suæ diœcesis; ac proinde non indigent speciali Papæ, vel metropolitana approbatione. Verum occasione prioris partis datæ conclusionis.

42. *Causæ excusantes episcopum a residentia corporali, quæ?* — Quæritur III. Quæ sint causæ legitimæ, excusantes episcopos a residentia corporali? Resp. I. Præter modicam temporis absentiam, juxta proxime dicta absque detrimento gregis Dominici peragen-

dæ, quatuor generatim sunt causæ ob quas episcopi corporaliter possunt abesse ab Ecclesiis suis: videlicet, « Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas: dummodo interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. » Ita textus expressus concilii Tridentini, sess. 23. cap. I. *de Reform.* Unde declarando duntaxat breviter allegatas absentiae causas.

43. *Nomine christianæ charitatis, quid intelligatur?* — Resp. II. Nomine *Christianæ charitatis*, intelligitur proximorum utilitas. Et talis v. g. intervenit, quando aliqua alia Ecclesia versatur in magno periculo hæresis, et talis episcopi prædicatione possit eidem subveniri: item, si episcopus abesse debeat ad pacem inter magnates componendam, aut hujusmodi. Dummodo istud fieri possit absque magno propriæ Ecclesiæ detrimento, atque interim suis ovibus ita episcopus discessurus per viros idoneos providere studeat, ut nullum damnum patiantur, juxta concilium Tridentinum proxime relatam: alioquin enim ageret is contra charitatis ordinem, quo plus sibi, suisque, quam alteri tenetur. Toletus lib. V. *Summæ*. cap. IV. n. 3; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 6. citans alios.

44. *Urgens necessitas excusans episcopum a residentia corporali, quæ?* — Urgens necessitas censetur adesse, quando episcopus residendo grave periculum vitæ incurreret: puta, quia gravi morbo affectus est, atque indiget mutatione æris, vel thermis; vel quia propter aliquam persecutionem infidelium, aut populi furorem declinandum: sive infesti principis insidias effugiendas, non nihil discedendum est. Quod ipsum comprobatur exemplo Salvatoris, qui abscondit se, et exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum, *Joan.* VIII, 59. item exemplo sancti Athanasii episcopi Alexandrini, et sancti Thomæ Cantuariensis, sanctique Bennonis Misnensis episcopi, ac plurium aliorum, tempore persecutionis contra eorum personam excitatæ provide ac licite aufugientium, suamque Ecclesiam ad tempus deferentium, ut eidem, aliorum curæ ad interim commissæ, in posterum magis prodesse valerent.

45. *Et quando revera ipsum excuset?* — Atque istud duntaxat procedit, quando episcopi

præsentia corporalis, vel ob communem subditorum malitiam, vel ob odium tyrannorum erga ipsum conceptum, ovibus conceditis amplius prodesse non potest, quin potius tyrannorum iram amplius erga ipsas exacerbaret: juxta quod sanctus Augustinus Psalm. LIV. relatus can. *Adversitas*. § *Hoc tunc*. 7. q. 1. inquit, quod Christus vitabat per sequentes, ut occasionem iræ demeret: et manebat in desertis orans. Vel quando persecutio oritur contra personam ipsius episcopi, non vero contra Ecclesiam, vel oves suæ curæ conceditas: alioquin enim fugere ad instar mercenarii episcopus non posset, sed veluti bonus pastor lupo venienti fortiter resistere, atque animam suam pro ovibus suis ponere teneretur. *Joan.* x, 17. et can. *Suggestum*. et can. *Suscitatis*. 7. q. 1. Pulchre ad propositum habetur cit. can. *Adversitas*. § *Hoc tunc*. 7. q. 1. ubi dicitur: « Hoc tunc servandum intelligitur (nempe quod tempore persecutionis non fugiat episcopus) quando inter subditos aliqui inveniuntur, quibus prælatorum vita proficiat: quando nec specialiter prælatus quæritur, nec per alios tuta potest esse Ecclesiæ salus; ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest, dicatur de eo: Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et deserit oves, et fugit. Cum vero specialiter quæritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum: fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum submissus est in sporta, » etc. Hæc ibi, plura, et ad propositum valde accommodata, subjungendo.

46. *Debita obedientia excusat episcopos a residentia corporali. Tempore anni sancti possunt episcopi Romam peregrinari: et quandiu tunc abesse valeant?* — Debita obedientia excusat etiam episcopos a residentia corporali, quando quis eorum a summo Pontifice accersitur ad tempus pro ministerio quopiam, ad bonum Ecclesiæ universalis, seu reipublicæ christianæ peragendo: ita tamen, ut expedito ministerio redeat ad propriam ecclesiam. Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 10. et seqq. inter alia docens, quod episcopi tempore anni sancti possint absque licentia speciali peregrinari Romam, jubilæi anni sancti videtur omnibus episcopis talem licentiam concedere. Huc pertinet obligatio episcoporum visitandi Limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quem finem Urbanus VIII. in Bulla, *Sancta*

Synodus (quæ refertur tom. IV. *Bullarii Romani*, Constitut. 139. dicti Pontificis) § 12. concessit episcopis existentibus ultra montes, vel mare, ut possint abesse septem mensibus: et existentibus citra montes, vel mare, ut quatuor absint mensibus, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant.

47 et 48. *Evidens Ecclesiæ utilitas, atque evidens reipublicæ utilitas, excusans episcopum a residentia corporali, quando intervenire intelligatur?* — Evidens Ecclesiæ utilitas intervenire intelligitur, quando episcopus abest ad defendendum jura Ecclesiæ suæ: quia tunc eidem inservire, sicque juris fictione residere censetur, arg. c. *Ex parte tua*. 13. h. t. Idem fit, quando abest in utilitatem Ecclesiæ universalis: ut, cum concilium generale, vel provinciæ celebratur, quandiu istud durat. Azorius part. II. lib. VII. cap. IV. quæst. 4; Barbosa cit. allegat. 53. n. 14; Toletus lib. V. cap. IV. n. 3. vers. *Quarta*, illud extendens ad casum, quo quis fungitur legatione in utilitatem ipsius Ecclesiæ, quæ non ita bene, nisi per episcopum, fieri potest: et alii.

Tandem evidens reipublicæ utilitas adesse dicitur quando episcopus in manifestam totius regni, vel reipublicæ utilitatem temporalem abest; et quidem ex necessitate, sive quando aliter, quam per episcopum, negotium regni, aut reipublicæ ita bene expediri nequit. Toletus ubi supra, vers. *Tertia*, Barbosa loc. cit. n. 15. et alii. Sic episcopus exigente evidenti reipublicæ utilitate potest esse legatus, sive orator principis secularis, arg. can. *Si episcopus*. juncta Glossa §. *Regia*. dist. 18. et c. *Cum parati*. 19. *de Appellatione*. Toletus loc. cit. istud intelligens, quando aliter, quam per episcopum, nequit legatio expediri: alias non potest licite episcopus abesse. Quinimo tales rigide perstringuntur a concilio Tridentino sess. 6. cap. I. *de Reform.* illis verbis: « Quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta se detinent occupatos: placuit sacrosanctæ synodo, antiquos canones, qui temporum, atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, » etc. Hæc concilium.